Noverint universi quod cum venerabiles Simon de Curia domicellus filius et heres universalis venerabilis Arnaldi de Curia quondam militis et mater eius Blancha eius uxor
Catarina vendiderit per se et suos ad imperpetuum venerabili domine Ermessendi per dei gratiam abbatisse monasterii sancti Danielis Gerunde et dicto monasterio
et successoribus eidem domine abbatisse in eo decimam parrochie sancti Juliani de Galliners diocesis Gerundensis et in tantum quantum decimale dicte parrochie
extenditur de expletis scilicet panis vini carnium lino canabo carnatico et lana et aliis de quibus in dicta parrochia est dari decima assueta prout de ipsa
venditione constat latius per instrumentum quod inde recepit die extra que fuit tricesima dies madii anno presenti qui est a nativitate domini millesimo
Trecentesimo Sexagesimo Octavo Raymundus de Brugia civis Gerunde notarius publicus auctoritate regia per totam terram et dominationem illustrissimi domini regis
Aragonum in loco de Sancta Leocadia de Sterria iidem venditores constituerunt certum et specialem procuratorem eorum et cuiuslibet eorum Raymundum Miralles de villa Sancti
Danielis Gerunde ad mittendum et inducendum dictam dominam abbatissam vel eius procuratorem in possessionem pacificam et quietam dicte decime et pertinentiarum eius
Et accedendum ad dictam parrochiam sancti Juliani de Galliners et eidem domine abbatisse vel suo procuratori tradendum et per Guillelmum de Cumba de Villalta
baiulum dicte decime tradi faciendum ipsam possessionem Et in signum possessionis et pro possessione dicte decime eidem procuratori tradendum seu tradi faciendum
granum expleta lanam et alia que in signum possessionis et pro possessione dicte decime videbuntur tradenda et deliberanda Et mandandum dicto baiulo decime
et generaliter aliis omnibus qui de dicta decima et fructibus et iuribus eius respondeant et satisfaciant ad imperpetuum domine abbatisse dicti monasterii vel suo procuratori vel
cui voluerit Et ad faciendum fieri et dicte domine abbatisse vel suo procuratori vel cui voluerit tradi faciendum publicum instrumentum seu publica instrumenta et alia
faciendum explicandum et exequendum que in predictis et circa predicta necessaria fuerint et etiam opportuna et que ipsi venditores possent facere si presentes essent etiam si mandatum
exigerent speciale prout de ipsa procuratione apparet et constat latius per instrumentum inde receptum die et anno proxime dictis per dictum Raymundum de Brugia notarium
Ideo die Tricesima prima madii hora circa tertiam Anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Octavo Constitutis in presentia predicta et in platea
ipsius parrochie ante domum in qua decima dicte parrochie de Galliners est solita congregari dicto Raymundo Miralles procuratore predicto ex una parte Et Petro
Berengarii de Casanova clerico Sedis Gerunde procuratore iamdicte domine abbatisse generali instituto ab ea de voluntate conventus dicti monasterii cum instrumento confecto
Quintadecima die Julii Anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Septimo in posse Raymundi de Brugia notarii Gerunde ex altera Et presente dicto Guillelmo
de Cumba baiulo dicte decime Idem Raymundus Miralles procurator in presentia mei Jacobi de Vlzinelles notarii subscripti et testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum misit
et induxit dictum Petrum Berengarii de Casanova in possessionem dicte decime et iurium eiusdem Et in signum possessionis et pro possessione ipsius decime et iurium eius tradidit et
per dictum Guillelmum de Cumba tradi fecit et mandavit dicto Petro Berengarii de Casanova procuratori et in nomine procuratorio dicte domine abbatisse recipienti ordeum
et aliud granum et lanam Et mandavit dicto baiulo presenti et publice hominibus dicte parrochie tam presentibus quam absentibus quod de cetero et ad imperpetuum dicte domine abba-
tisse et suo monasterio respondeant et satisfaciant de dicta decima et fructibus et iuribus eiusdem Quod ordeum granum et lanam incontinenti in presentia mei notarii subscripti et testium
subscriptorum ad hec specialiter vocatorum recepit idem procurator procuratorio nomine dicte domine abbatisse dicens se nomine dicte domine abbatisse dictam decimam tam re quam
animo possidere De quibus omnibus tam dictus Raymundus Miralles procurator quam supra quam dictus Petrus Berengarii procuratorio nomine predicte domine abbatisse petierunt et
mandarunt per me notarium subscriptum fieri et eidem Petro Berengarii procuratori tradi publicum instrumentum seu publica instrumenta unum videlicet et plura et tot quot a quo-
tiens petierit et habere voluerit per me notarium subscriptum Que fuerunt acta dicta die Tricesima prima madii Anno predicto a nativitate domini Millesimo Trecentesimo
Sexagesimo Octavo hora et loco predictis Presentibus et vocatis me Jacobo de Vlzinelles notario subscripto et dicto Guillelmo de Cumba de Villanova baiulo dicte decime de Galliners et
testibus scilicet Bernardo Calleri et Petro de Faris textore de Galliners et Raymundo de Brugia notario Gerunde.

Signum Jacobi de Vlzinelles notarii publici castri Villemarini et eius termini auctoritate nobilis viri domini Dalmacii dei gratia vicecomitis Rupebertini domini eiusdem qui hec
scribi feci et clausi Et constat mihi de supraposito in .viii. linea ubi dicitur pacificam et in .ix. linea ubi legitur abbatisse et de raso et emendato in
eadem nona linea ubi continetur de villa.

21-5-1269

n-919

Possessio [illegible] del Monestir

Conuent de [illegible] gallinés

C

972